

MĀRCUS CURTIUS, CĪVIS FORTISSIMUS

The myth of this famous Roman hero explains the origin of the name Lacus Curtius in the Roman Forum.

Antīquī Rōmānī nōn solum patriam vehementer amābant sed etiam prō patriā mortem libenter petere solēbant. Ōlim magna rīma (= *crack*) propter causam ignōtam mediō in forō appāruerat. Cīvēs Rōmānī maximē terrēbantur. Illī cōpiam terrae et saxōrum parāvērunt et eam in rīmam iēcērunt. Sed frūstrā labōrāvērunt quod rīma neque saxīs neque terrā complērī potuit. Tandem auxilium ā deīs quaesītum est. Tum ōrāculum deōrum ita respondit, “Maximum bonōrum (= *of possessions*) vestrōrum in illam rīmam iacī dēbet. Tum rīma complēbitur.” Inter Rōmānōs erat illō tempore cīvis fortissimus, nōmine Mārcus Curtius. Ille dīxit, “Ego sciō maximum bonōrum nostrōrum nōn esse aurum neque gemmās. Fortis fidēlisque animus cīvis Rōmānī est maximum bonōrum nostrōrum.” Deinde in equum ascendit et in rīmam lātam equitāvit. Simul atque equus et vir ē cōnspectū Rōmānōrum discessērunt, rīma complēta est. Postea locus in Forō, ubi Mārcus Curtius prō patriā vītā dedit, ā Rōmānīs Lācus Curtius appellābātur.